

1524

*Lanoji  
Proregis re-  
sponso.*

lo pacto passurum ; summis votis optare , hortari , Insubres funestum tot incendiorum pabulum sibi oppignerari ; e Republica esse censere , ut Rex ea regione potiatur , potentissimique Principes haud exiguo singuli in Italia imperio contenti sint . Ad hæc Clementis postulata Prorex in hunc modum respondit : Sapienter a Cæsare Italiæ pacis diuturnitati consultum fuisse , dum superioribus annis cum Leone Pontifice Maximo communicatis consiliis , Franciscum Sfortiam Insubrum provinciæ præficere , Gallos penitus ex Italia ejicere statuerat : summis impensis , ingenti labore , magnis copiis instructis , votis fortunam non defuisse ; pulbos Italia Gallos , Sfortiæ imperium restitutum : mirari quanam tandem re permotus Pontifex novis rebus , consiliisque studere velit : si pax illi Italiæ , ut prædicat , cordi sit , gentem turbidam , inquietam , nova semper appetentem , ac molientem longe ab hujus provinciæ finibus arceat ; neque Principi , ad quem jure Insubres spectant , illorum imperium adimat ; si diversas rationes cogitationum , ac consiliorum inierit , Italiam , Christianamque Rempublicam continentibus bellorum fluctibus jaçatum iri . Quod vero Mediolanensem ditionem Pontificis potestati permittat , id a Cæsare in mandatis non habere ; neque sibi suaderi posse , ullo unquam tempore id Cæsarem facturum : nihil sibi Imperatorem aliud præcepisse , quam , ut omni conatu , viribus , sanguine denique ipso Insubres tueretur ; nunquam se , vel metu , vel spe , vel si foederati quoque arma adversus Imperatorem sumerent , ab officio recessurum . Sinuessanus eadem ferme Clementi respondit ; nullam se ad ea negotia perficienda facultatem habere ; verum de tota re ad Proregem scripturum .

Senatus , novis Pontificis consiliis intellectis , eo magis aducebatur , ut tempus proferendo nil certi Proregis , ac Ducis legatis responderet ; & præsertim , quoniam rumor de Neapolitana expeditione confirmatus suspicionem Patrum animis injecerat ; ne Prorex , ut regno sibi credito opem ferret , Mediolanenses res desereret , ac Rempublicam Gallorum viribus objiceret . Jam enim Albaniæ Dux , rebus ad Neapolitanam expeditionem comparatis , itineri se commiserat , atque Apennini juga transgrediebatur ; qua re vehementer

Cæsa-